Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26369
Copyright: Admont, Benediktinerstift

cum captus esset a Kartaginensibus et ipsum Romam misissent petiturum a senatu ut pacem concederent captivis mutuo relaxatis ac fidem dedisset se rediturum si Romani non concessissent. Ipse veniens Romam primo in senatu censuit captivos non esse reddendos nec pacem concedendam eo quod vires Kartaginensium defecissent. Et nichilominus ipse maluit redeundo supplicium subire quam hosti fidem datam fallere. Capitulum XVI. De iusticia servanda in servos et captivos.

Non solum autem erga victos bello officium iusticie est servandum sed et erga suos quorum infima est condicio et fortuna. Est autem officium iusticie quo ad suos ut non minus nec amplius eis utamur nisi tamquam mercennariis. scilicet ut ita prebenda ipsis constituta certe servitutis ab eis opera exigatur. Capitulum XVII. Quot modis fiat iniuria generaliter.

Omnis autem iniuria generaliter aut fit per vim aut fraude. Fraus est quasi vulpecule et pertinet ad callidos et dolosos. Vis vero est quasi leonis et pertinet ad violentos. Utrumque vero alienissimum est a natura hominis. Fraus tamen maiori odio digna est quam violentia. Omnis autem iniusticie nulla capitalior est quam eorum iniusticia qui cum maxime dolo fallant et noceant id tamen agunt ut quasi boni viri esse videantur. Et ita secundum Tullium terminatur tractatus de officiis iusticie illius que vocatur innocentia sicut dictum est supra. Capitulum XVIII. De secunda specie principali que vocatur

Secunda species iusticie beneficentia.

Est beneficentia cuius ordo et necessitas ad innocentiam sic patet. Duo enim sunt propter que societas et civilitas et omnis hominum communitas ad invicem possunt stare. Unum consistit in non malefaciendo alicui quod est de precepto innocentie cuius officium est neminem ledere. Secundum consistit in benefaciendo alicui quod est de precepto beneficentie cuius officium est eis quibus tenemur bonum impendere. Sicut enim iustum est simpliciter nulli nocere ita et de debito eiusdem iusticie est aliquibus benefacere. Alias enim non possent societas et cohabitacio hominum stare simul. Necessitas autem huius sic patet. Non enim omnes homines similes sunt et omnium similiter compotes. sed alius alio sapientior locupletior aut potentior et tamen omnes indigent ad statum vite et conservacionis eius similibus et eisdem. Si ergo necesse est omnes conservari per easdem causas que tamen non omnibus equaliter sunt communes. necesse est ergo ut causis communium illorum vite plus habundantes subveniant indigentibus ut istorum inopia illorum copia supportetur. Et sic perpetuatum bonum unum cuique fiat quodammodo commune et per hoc magis laudabile et magis bonum. Hoc autem fit per virtutem beneficentie. Ergo virtus beneficentie secundo loco necessaria est post virtutem innocentie ad complementum iusticie et officiorum eius. Unde patet quod sicut liberales laudantur ut iusti ex eo quod beneficentia est species iusticie. ita illiberales sive avari vituperantur ut iniusti. quia avaricia in eos quibus tenemur ad benefi-